



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici
Semestria duo**

Strauch, Johann

Jenae, 1675

Caput Primum Ad cap. 33. de Rescript.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10224

racensi literas monitorias ac præceptorias ad Capitulum Cameracense impetrat. *B. Clericus*, est Balduinus, clericus Tornacensis, contra executoriales impetravit ad J. quod est, *Jacobum Archidiaconum Tornacensem*, ejusque con-Canonicos, nulla factâ mentione literarum quas Rævardus obtinuerat. Canonici Cameracenses noluerunt parere mandato. Igitur Jacobus suspensionis sententiam in eos tulerat. Inde Rævardus pariter executorias ab Honorio impetravit ad Scholasticum S. Quintini & conjudices, qui quidem etiam sententiam excommunicationis in eosdem Cameracenses Canonicos tulerunt. Canonici ad Pontificem confugiunt, allegantes non plus duodecim præbendas esse in capitulo, ex statutis jurejurando confirmatis, & ita non posse Rævardum & Balduinum, præbendam obtinere. Decidit Honorius, ei tantum præbendam assignandam fore, qui prius mandatum reportarit, sublatâ sententiâ excommunicationis.

Finis Eclogæ II.

Amœnitatum Juris Canonici

ECLOGA TERTIA.

CAPUT PRIMUM
Ad cap. 33. de Rescript.

SUMMARIUM.

1. *Sylvanectum urbs Episcopalis, sub A. Remensi.* 2. *Abbas Cariloci.*
3. *Ubi ejus mentio.*

Gregorius IX. rescribit Episcopo Sylvanectensi, Sylvanectum vulgo *Senlis*, urbs Episcopalis sub Archiepiscopatu Remensi, decimo lapide à Lutetiâ Parisiorum. Substantiâ *Sylvanecti*, *urbs Episcopalis, sub A. Remensi.* Archiepiscopatu huic octo sequentes suffraganei:

1. Lau-

- | | |
|--|---|
| 1. Laudunensis, <i>Laon</i> , Dux & Par Francia. | est navale, Veteribus Gesforiacus dictus. |
| 2. Catalaunensis, <i>Chalon</i> , Comes & Par Francia. | 5. Ambianensis, <i>Amiens</i> . |
| 3. Sveffionensis, <i>Sveffon</i> . | 6. Noviomagensis, <i>Noion</i> , Comes & Par Francia. |
| 4. Morinensis. Hujus sedes Teroana Morinorum Bononiam est translata, ubi | 7. Sylvanectensis, <i>Senlis</i> . |
| | 8. Belovacensis, <i>Beauvais</i> , Comes & Par Francia. |

Abbas Cariloci.

Ubi ejus mentio.

Sylvanectensi Episcopo jungitur Abbas Cariloci in hoc capitulo. Duas Abbantias continet Sylvanectensis Episcopatus; *Maria de Victoriâ*, ordinis S. Augustini, & *Cariloci*, ordinis Cisterciensis, vulgo *Charly*. Hujus nominis quatuor esse in Gallia Abbantias vel Prioratus dicit Bosquetus. At Alteserra duas tantum ponit, unam, hanc nostram, alteram in Bisuntinâ diœcesi, de quâ in vitâ Bernardi Clarevallensis *lib. 4. c. 4.* Hoc loco inscriptio docet, intelligi Abbatiâ diœcesis Sylvanectensis. Hujus Abbatis meminit Alexander III. *cap. cum dilecti. X. de Emt. & vend.* eique rescribit Innocentius III. *cap. ex parte. 10. X. de temp. ordin.* ubi forsân nos plura.

CAP. II.

Ad Cap. Rodolphus 35.

S U M M A R I A.

- | | |
|--------------------------------|--|
| 1. Priores, qui & quotuplices. | 4. Seculares. |
| 2. Claustrales. | 5. Sagiensis Episcopus. Seez in Normand. |
| 3. Conventuales. | |

Priores, qui & quotuplices. Claustrales. Conventuales.

Priores dicuntur, qui super alias Ecclesiæ alicujus personas constituti sunt, horum alii claustrales, alii conventuales. *Clem. 2. de Rescr.* alii seculares. Claustrales sunt, qui præfunt Cœnobitis post Abbatem vel alium Antistitem, quorum funguntur potestate vicariâ intra monasterii claustra *c. cum ad monasterium. X. de Stat. Monachor.* Conventuales illi, qui principes cœnobio constituti sunt, quibus nullus Abbas vel alius dignior præest. *Clement. 1. §. ceterum. de St. Monach.* Hic Prioratus dignitas est, claustralis non item. *gl. in Clement. 2. de Rescr.* in verbo,